



Universitätsbibliothek Paderborn

**Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis
Plvrimorvm Maxime Illvstrivm Adornata**

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Capvt VI. Opinio Iudæorum, qui dicunt quod lex Mosaica non est abolita,
sed adhuc est obseruanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

C Vnde
B
S
C
S
I

Etus à Patre & Filio: & sicut flamma tria facit, vrit, splendescit, succendit; sic Spiritus Sanctus vrit vitia, splendescit peccata, succendit gratia, Similiter in Sole considerantur tria, Solis substantia, radius à Sole procedens, calor ab utroque exiens. Ista tria in Sole considerantur, & sunt in una Solis substantia, Sol ad nullum, radius de Sole nascitur, calor ab utroque progeditur: tam radius quam calor coeūus est Soli. Tres ergo sunt, Sol, radius, calor, in una tamen substantia sunt. Similiter, Pater & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt in una deitati substantia, Pater à nullo, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab utroque Pater & Filius, Filius & Spiritus Sanctus coeterni Patri.

CAPUT VI.

Opinio Iudaorum, qui dicunt quod lex Mosaicæ non est abolita, sed adhuc est obseruanda.

Intendunt etiam probare, legem Mosaicam non esse aboliram, sed adhuc esse obseruandam in hunc modum: si lex bona est, & à Deo data est, obseruanda est, nullum enim alijs decretum obseruandum, si Dei mandatum non obseruandum. Quod si partem Christiani excipiunt, & aliam obseruandam esse dicunt, dent nobis consilium, quomodo illud effugiemus maledictum; (a) **Maledictus homo qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt in lege.** Legislator nihil excipit, sed vniuersaliter omnia mandata obseruari præcipit; Christiani autem ad suum arbitrium, legis & mandatorum obseruantiam determinant.

CAPUT VII.

Determinatio Præmissorum.

A Dhæc respondemus, legem esse bonam, & à Deo datam dicimus, ac ideò, quid-

quid in eis scriptum est, diuino sensu intellectu, suis temporibus obseruatum & obseruandum esse sentimus; ea vero diuino intellectu intelligenda erant, quæ si ad litteram accipimus, multa sibi repugnantia videmus. Cum enim Moses dicat, (a) **Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;** quid est quod in lege quædam dicantur munda, quædam immunda? Ad litteram quidem non est immundum, quoniam est validè bonum: nec solum ea prohibentur in lege, quæ sui naturæ nocuâ sunt homini ad vescendum, verù etiam quæ gustu iucunda, & æque salubria ad comedendum existunt. Aliquid ergo sacramenti hæc in se continent, quæ licet à Deo dicta sint, tamen à se inuicem ad litteram omnino dissident. In exordio autem, inter alia precepta, de faciendo altari Dominus Moysi ibi ita præcipit: (c) **Altare de terra facietis mihi; in sequentibus autem legitur sic:** (d) **Fecit itaque Moses altare thymiamatis de lignis Setherim.** Et alibi: (a) **Funduit bases anæas in introitu Tabernaculi.** Multum itaque aduersum videtur, ut alius & aliter quam Dominus per Moysen iubet, ab ipso Moyle agat. Aliter ergo quam littera sonat hoc accipio portere.

Item, ad litteram quomodo stare potest, quod Deus prohibet, (f) **ne homo arat in Boe & Aſino?** Onus aliud quocunque tibi placet Aſino imponere, non vetat lex, & ponere iugum cum Aſino, quasi non licet, cum ad pascuam bouem cum Aſino ducere licet, in pascuis simileſſe, & compasci permittit lex, & arare simul prohibet, & interdit. Si autor propterea hæc vetat, quia hoc animal immundum esse perhibetur, cur non etiam arare bouem cum equo vel alio animali immundo prohibetur in lege, hanc non solum in ijs quæ dicta sunt mandatis, sed etiam in pluribus alijs legalibus ceremonijs contrarietatem videmus, nisi ea competenti

(a) *Deut. 27. v. 26.* (b) *Gen. 1. v. 31.* (c) *Exodi. 20.* (d) *Exodi. 37.* (e) *Exodi 26, & 27.* (f) *Deut. 22. v. 10.*